

POSITIONES INAUGURALES,

DE

42
228x

JURE PRÆCEDEN-
TIÆ, PRÆEMINENTIÆ
ET SESSIONIS PRÆ-
ROGATIVA.

16376.

QUAS

D. O. M. A.

Authoritate & Consensu

NOBILISSIMI, ET AM-
PLISSIMI JCTorum ORDINIS,
IN INCLYTA ARGENTORA.

TENSUM ACADEMIA.

*Pro consequendis in utroq; Jure summis honoribus & pri-
vilegiis DOCTORALIBUS*

SOLENNI censuræ submittit


ERNESTUS FRIDERICUS *Mollinger*/
Sultzbergæ - Marchico - Brisgoius.

Ad diem 31. Martij.



Typis JOHANNIS REPPIL.

Anno M. DC. XXXVII.



T H E S I S I.

PRÆCEDENTIARUM controversia Regum & Magnatum est: privatorum verò contemnere hujusmodi anxia curialium studia. Quare juris publici magis videtur hoc totum negotium: neque tamen in jure consistere, quam in moribus.

2. Et sanè, si quam juris publici partem, hanc scire necessarium est: cùm in ea augenda, Magnates omnibus incumbant nervis, nec punctum decedere permittant. Sæpius jus, ob ejus ignorantiam, ut & ambitionem, & vagina derivantes.

3. Cavendum tamen, ne superioritatis jus quod maximè diversum, & majoris efficacie est, cùm hoc jure, ultra potiorem honorem, in & per se, nihil tribuens, confundatur.

4. Generaliter autem, quo major dignitas conferentis & ordinantis, èd quoque major ipsius ordinati est. Hinc & Principes, Nobiles, Doctores &c. Germaniæ, cæterorum regnorum Principibus, Nobilibus, Doctribus &c. merito præferendi.

5. Deinde tantò quis est major, quanto majoribus & illustriores præfet. Facit hic quod Imperator Carolus V. jactitare solebat, in suis regnis, hereditariis scil., se esse Regem servorum, in Romano verò imperio Regem Regum, & ex eo omnibus potiorem.

6. Fundatur verò jus præcedentiaz principaliter, in Majoritate, Rejudicata, & Consuetudine.

7. Majoritas, quæ hodiè Excellentia dicitur, est, cùm quis ex certo, & publicè recepto more, sine ulla notabili instantia, dignior habetur.

8. Sic Romanorum Imperator, apud plerasque nationes tanquam præcipius colitur. Post Imperatorem verò Reges. Sed qui Reges, Num Duces, Marchiones, Comites Palatini, Landgravii &c. & quo ordine sequantur, certò non constat. In Romano sanè Imperio, unicuique jus suum, ex actu possessionis vel quasi, non attento titulo, competere, certo certius est.

9. Sed queritur, Utrum electio sola ad Imperialem Majestatem

tem & Dignitatem , illico precedentiam tribuat ; an vero papalis confirmatio sit expectanda ? Prius affirmatur : posterius statuere, absurdum : dicere, blasphemum : profiteri, impium est.

10. An ceteris Imperii Principibus, sola successio in defuncti locum, ante petitam à Cæsare investituram, in Comitiis Imperii, jus fessionis, & praecedentia tribuat ? Affir.

11. Quid vero de Ecclesiasticis dicendum, si idem contingat ? Idem de his, si ritè per capitulum electi, licet nondum investiti sint, dicendum.

12. Quid vero si hosce Ecclesiasticos nondum vel à Pontifice confirmatos, vel insulatos esse, contingat ? Ettunc etiam admittere eos esse, assero.

13. An spes nuda Majoritatis , praecedentiam inter pares tribuat ? N.

14. An Rex Romanorum , ceteris Regibus sit preferendus ? Affirm.

15. Res judicata inter pares, parem causam & jus habentes, à judice competente decisa, justus praecedentiae titulus est. Idem est, si coram arbitris disceptata & dijudicata fuerit.

16. Cum primis Consuetudo, Observantia, Præscriptio, Possessio vel quasi, ad praecedentiam & præminentiam arguandam, firmissimum ac omnino palmarium argumentum est.

17. Non tamen spernuntur testimonia incorrupta , & præjuridiciis corroborata, sed ad hanc assertandam, multum facere & conducere videntur.

18. Ita etiam ab Ordine scripturaræ, si publicè fiat, & animi destinatione, vel quando lege, albo aut aliâ matriculâ, certa dignitatum, aut eorum qui in dignitate sunt, distributio fit, vel quando ad normam hujus, publicorum congressuum decretis, personarum nomina subscripta reperiuntur, argui præminentiam, utile potior qui ordine prior, erroneum non est.

19. Minus principaliter vero, antiquitas, vetustas, anterioritas &c. Regni, Principatus, Dignitatis, Tituli, &c. praecedentiam tribuunt : meritò tamen, ceteris paribus, attendenda & consideranda veniunt.

20. Aetas senior & major, jure naturæ quidem & multarum gentium instituto, prærogativam honoris tribuit, sed in Imperio Romano, aliisque in locis, ubi majoris dignitatis prærogativa datur, ferè non spectatur.

Gene-

21. Generalis tamen consuetudo & observantia, in universo
fere Romano Imperio est, ut inter pares dignitate, ac ejusdem fa-
miliae Principes, natu maximus, omnes ceteros antecedat, & prout
quisque aetate provectione est & senior, ita & ceteris preferatur; ex-
cepto in regimine principatus constituto.

22. Repräsentantes alios, eandem præcedentiam vindicant
quam ipsi repräsentati; modò ne præsens sit ejusdem gradus licet
præminentia minoris, Rex, Princeps vel alius Status.

23. Respectu nonnunquam alterius personæ, item actus pu-
blici & loci, itemque coherentia & unionis, alicui præcedentia
tribuitur; ibique solius actus, loci & coherentia ratio habetur.
Et ideo sepius in minori dignitate constituti, præferentur Majoribus.

24. Fortuna bona, ut sunt potentia major, subditorum multi-
tudo, Divitiarum & Opum copia, latiores regnum fines, uberiori-
res redditus, successus & progressus feliciores, ad acquirendam ma-
jorem existimationem & præminentiam, armorum terrore, ut
plurimum sepius juvent ac conducunt. Fundata tamen & in sua
substantia durantem, nec immutatam, sequens potentia majoris
accessio, & plurimorum bonorum fortunæ cumulus, infringere
non possunt; sed perpetua & immutabilis illa permanet, ejusque
authoritas æterna est.

25. Contrà, si substantia dignitatis immutata fuerit; sive quia
ad altiorem locum, & dignitatis gradum evectus quis, sive quia
dejectus fuerit; jus sane præcedentia pristinum immutatur &
amittitur.

26. Nec concursus plurium dignitatum, quarum nulla per se
sufficit, ad arguendam præminentiam præ alio, qui tantum unicâ
condecoratus, tanti ponderis est.

27. Sic etiam insignia, seu armæ gentilitia variegata & plurima,
titulorum multitudine, Excellentia & Celsitudo, idque genus alia,
vanæ ostentationis sepius indicia & commentitia, parum ad ma-
joris præminentia assertione conducunt.

28. Notas præminentia & præcedentia variæ variè consti-
tuunt. Præcipua tamen nota est, præcedentia ipsa, hoc est, prior &
potior in inceßione locus. Unde & originem traxisse videtur. Li-
cet is magis honorari dicatur, qui sedet, quam qui stat.

29. Hunc sequitur ordo sessionis, in quo primarius locus est,

A 3

quando

quando quis loco elevationi p̄ræ cæteris sedet, vel quando quis superiore mensa partem solus tenet: vel medium locum occupat.

30. Hos sequitur locus dextræ. Cur verò dextra sinistrâ honoratior sit, plurimi diversè judicant. Sed quæritur ubi dextra constituta sit? Deinceps evidens res est; de confessu verò controversa. Verum certum est, eam esse dextram, quæ nobis ingredientibus & intuentibus, est sinistra.

31. Primus locus sinistrâ honoratior est, quam secundus dextræ.

32. In Comitiis & actibus Imperii, inter Electores, locus è regione Cæsari appositus, licet communī calculo inferior habeatur, dignior est, quam primus sinistræ, vel secundus dextræ.

33. Præcedentia & præminentia etiam nota est, convocate comitia; conventus, actus, dirigere; votandique & suffragii ferendi prærogativa.

34. Ita & inter Magnates præminentia prærogativa habetur, si quis in loco convento primus se sitat.

35. Vestitus etiam splendidior olim præminentia signum erat, imprimis purpura, quæ Magnatibus solis competit. Inde etiam in Receßibus Imperii, de Anno 1500, Anno 1530. & Anno 1548. ut & in politica sanctione Francofurti promulgata, tit. 9. 10. 11. 12. &c. cuique statui peculiares leges vestiarie late. Quod etiam in politica sanctione laudatissimæ hujus Reipubl. introductum reperimus. Sed inter arma silent leges.

36. Absolutis præcedentia & præminentia fundamentis & notis, sequens est videre quis harum sit judex competens.

37. Competens autem judex est, qui jurisdictionem in litigantes habet.

38. Indè qui potestatis absolutæ non sunt, sed superiorum absolute recognoscunt, eundem quoque in hac controversia recognoscere, ejusque judicio & pronuntiatio acquiescere tenentur.

39. Quis vero harum, de præcedentia & sessionis prærogativa inter status controversiatum, in Imperio Romano Germanico Judex sit competens, ac qualiter; non usq[ue] quoque est expeditum? Illud quidem certum, ipsum Imperatorem, tanquam fontem omnis dignitatis, esse judicem, uti ex omnibus receſſibus Imperii, in quibus haec controversia fuere motæ, constat.

40. Num autem solus, cum primis nullo statuum Imperii adhibito

hibito consilio, jus ferendæ sententia habeat? Ita quidem placuit plurimis veruntamen, omnia accuratiis insipientibus, aliud omnino dicendum erit.

41. Quid verò, si Imperator, neglecto Statuum Imperii consilio, ad relationem Consiliariorum Aulicorum, in causis lessionum ac præcedentie solus cognoscat? Hoc uolū est, cui nomen GOLDASTUS, NOLI ME TANGERE, dedit. Sed tali casu, lessis, appellationem ab Imperatore male informato, ad Imperatorem melius informandum, & Status Imperii ippos competere, statuere placulum non erit.

42. Possunt etiam partes litigantes, superiorem non recognoscentes, alterius jurisdictioni se subjecere, & ut inter eas jus dicat, consentire.

43. Qui nullum superiorem recognoscunt, nisi Deum & gladium, regulariter quoque nullam actionem intentare, sed vel armata manu honorem de jure competentem vindicare, vel in arbitrum compromittere possunt.

44. Hi verò qui superiorem recognoscunt, præcedentiam eratam actione injuriarum vindicare, vel interdicto unde vi, vel amplissimo remedio Canonis redintegranda uti & agere possunt.

45. Principes tamen vel horum Legati, plarunq; si competens possessio eis præripitur, turbatorem incontinenti expellere, de facto resistere, & potius reorum favorabilem, quam actorum onerosam & difficillimam vicem, subire solent.

46. Quando quis verò non dejectus, sed tantum in ea turbatus fuerit, interdicto retinendæ possessionis uti possidetis, agere poterit.


47. Principes etiam Imperii, tam in retinendâ, quam recuperanda & acquirenda præcedentia & lessionis prærogativâ, imploratione officii judicis, quæ omnibus lessis com petit, utuntur.

48. Modi quibus jus præcedentiarum conservatur variis sunt; qui obseruantur tam ab illis, apud quos haec controversia movetur, quam à litigantibus ipsis.

49. In collocatione Principum vel Legatorum videat impri-
mis Princeps vel Respublica, ubi haec controversia moventur, ne ju-
ribus alterius gentis præjudicet; sed neutralem potius se præbeat,
& si partes amicè conciliare nequeat in dubio litem potius pende-
re, quod multis modis commodè fieri potest, faciat.

50. Litigantes verò, vel judicium eludere, vel ingenio effugere, vel ad minimum protestari, vel amicabili transactione compонere solent. Sed de his pleniori stylo pertractare, tempus opportuniorem occasionem, Deo dante, aperiet.

DEO SOLI GLORIA.




Clarissimo Domino Doctorando Amico &
Conterraneo dilecto.

Excelstā virtute animus, non indole parvā
Contentit motu celsior ire novo.
Hic contentus erit nunquam; verum aura relictos
Ignes splendoris sufflat ubiqz leves:
Sic tua mens tandem curas exosa sequaces,
Mundivagæ famæ teclæ superbo subis.
Dum tibi diva lares pandit Themis ipsa verendos,
Tegz inter Mylas gaudet habere suos.
Grator ego, & veneror Iovam prece supplice, fructus
Ut patriæ innumeros munera tanta ferant.

Officio adductus
faciebat

Joh. Henricus Schill.

F I N I S.



X 2615926

10.17

B.I.G.

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
1	Centimetres
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	
Inches	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	

Farbkarte #13



POSITIONES INAUGURALES,
DE
URE PRÆCEDEN-
TIÆ, PRÆEMINENTIÆ
ET SESSIONIS PRÆ-
ROGATIVA.
QUAS

D. O. M. A.

Authoritate & Consensu

NOBILISSIMI, ET AM-
PLISSIMI JCtorum ORDINIS,
IN INCLYTA ARGENTORA.
TENSUM ACADEMIA.

Pro consequendis in utroq. Jure summis honoribus & pri-
vilegiis DOCTORALIBUS

SOLENNI censuræ submittit

ERNESTUS FRIDERICUS *Möllinger*,
Sultzbergæ - Marchico - Brisgoius.

Ad diem 31. Martij.



Typis JOHANNIS REPII.

Anno M. DC. XXXVII.

228x
42

16376.